SERMO

Abraham quippe prius accepit circumcisionem a domino, et in sabbato
circumcidatis hominem. convincat vos Moyses. In lege accepistis ut
circumcidatur octavo die. Accepistis in lege ut vacetis septimo die.
si octavus dies illius qui natus est occurrerit ad diem septimum sabbati.
quid facturi estis. vacabitis ut servetur sabbatum. an circumcidatis ut imple
atur sacramentum diei octavi. Sed novi inquid quod faciatis. circumcidi
tis hominem. quare? quia circumcisio pertinet ad aliquod signaculum
salutis. et non debent homines sabbato vacare a salute. Ergo nec mihi
irascamini, quia salvum feci totum hominem sabbato. Si circumcisionem
inquit homo accipit in sabbato, ut non solvatur lex Moysi; aliquid enim
per Moysen in illa constitutione circumcisionis salubriter institutum est.
mihi operanti salutem in sabbato quare indignamini. Forte enim
illa circumcisio ipsum dominum significabat. cui isti curanti et sananti indigna
bantur. Iussa est adhiberi octavo die circumcisio. Et quid est circumcisio nisi car
nis expoliatio. significat ergo ista circumcisio expoliationem a corde
cupiditatum carnalium. Non ergo sine causa data est. et in eo membro
fieri iussa, quia per illud membrum procreatur creatura mortalium.
Et per unum hominem mors. sic per unum hominem resurrectio mortuorum. et per unum
hominem peccatum intravit in mundum. et per peccatum mors. Ideo quisque
cum praeputio nascitur. quia omnis homo cum vitio propaginis nascitur.
Et non mundat deus sive a vitio cum quo nascimur, sive a vitiis quae male vivendo
addimus, nisi per cultellum petrinum. dominum Christum. petra enim erat Christus.
Cultellis enim petrinis circumcidebantur, et petrae nomine Christum figurabant.
et petram tamen non agnoscebant, sed insuper eum occidere cupiebant. Quare
autem octavo die, nisi quia post septimum sabbati dominus die dominico resurrexit.
Ergo resurrectio Christi quae facta est tertio quidem die passionis, sed oc
tavo die in diebus ebdomadis, ipsa nos circumcidit. Audi circumcisos
vera petra apostolo commonente. Si ergo resurrexistis cum Christo quae
sursum sunt sapite. ubi Christus est in dextera dei sedens. quae sursum sunt quaerite
non quae super terram. Circumcisis loquitur. Resurrexit Christus, abstulit
vobis desideria carnalia. abstulit concupiscentias malas. abstulit
superfluum cum quo nati eratis. et multo peius quod male vivendo addideratis.
Circumcisi per petram quare adhuc sapitis terram. Et ad extremum
quia legem dedit Moyses. et circumciditis hominem in sabbato. intellegite
hoc significatum opus bonum. quod ego feci totum hominem salvum sabbato.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0056